

430

428

434

424

439

De visitatione locorum sub monte Syon, et primo de
fonte Mariae Virginis beatae.

419

479

379

329

videre. Et ita milites festinabant ad hospitale S. Johannis ad
capiendum cibum, nos vero religiosi intravimus Conventum
fratrum et cum eis refecti sumus.

Finito prandio convenerunt peregrini, qui robusti erant,
ad ulterius peregrinandum et ad laborandum. Est enim non
parvus labor, sic de loca ad locum peregrinari, ut patet fol.
96. B. Congregatis ergo nobis descendimus de monte Syon
in aquilonari parte montis per viam longam, et viam, per quam
prius ascenderamus, ad dextram reliquimus. Porro in ipso
montis Syon clivo venimus ad specum quandam, ad unam
terrae voraginem patentem, per cuius os ingressi in viscera
terrae descendimus sine gradibus in arena, et quia de lumine
solis umbrosum locum intravimus, nihil vel parum videre
poteramus, nam oculorum istiusmodi natura est, ut post
solem umbras intrantibus coeca omnia videantur. Porro nobis
descendentibus (159 A) in specum, ascendit contra nos de
profundo rapido cursu quidam Sarracenus saevus, cum magnis
clamoribus stomachando mirabiliter, iram animi sui voce, vultu,
et brachiis ostentans, et repellere nos de specu nitebatur, ne
ad aquas descendemeremus. Sed quia ipse solus fuit, et nos
multi, non eum curavimus, sed continue descendimus, ipse
vero ingeminavit clamores, et acuit suae iracundiae mores,
et si habuisset saltim baculum, nos omnes efugasset. Videns
autem Sarracenus ille, quod eum non curavimus, vertit se
ocius, et omnes descendentes praecurrit, et prior ad aquas
venit, et posuit se super marginem fontis, et modis omnibus
aquam haurire volentibus resistebat, et accedere volentes retru-
debat, repercutiebat, et retrahebat. Quidam autem miles Lomb-
bardus de Mediolano peregrinus accessit audacter ad Sarrace-
num, per brachium arripuit, et a fonte avulsit violenter.
Sarracenus autem ex hoc in ira accensus contra militem illum
insurrexit, eumque pugnis percutere coepit, et miles e contra-
rio pugnis se defendit, repercutiens eum, quia neuter habebat
arma, et tanta iracundia in se exarserunt, quod nisi peregrini

Ende

Anfang

